

**CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES
UNIVERSITY OF TORONTO**

Ph.D. Level Medieval Latin Examination

17 April 2002

Translate **ALL** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only.
DO NOT USE PENCIL.

.....

1. Peter Damian on the incarceration of St. Apollinaris

Si enim contuderis os carneum, est qui interius fabricet aliud, quod quidem possis audire, sed nulla ualeas animaduersione punire. Ille uidelicet qui discipulis suis dicit: "Ego dabo uobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes aduersarii uestri." Ille inquam qui dicit: "Non uos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris uestri qui loquitur in uobis." Sed iterum in carcere horrifico clauditur, grauissimo catenarum pondere compeditur, in ligno extenditur, omni alimentorum sustentatione priuatur. Ad constringendum quidem omnino carcer sufficeret, etiam si catena deesset; ad puniendum autem sufficeret ignis poena, etiam si famis cessaret inopia. Sed cui terrena esca subtrahitur, caelestibus epulis enutritur, et uictum quem iudicis impietas negat, Dei largitas amministrat; et quod non tribuit carcerarius, minister hominis factus exhibet angelus. Angelus enim Domini nocte ueniens ad eum, uidentibus custodibus paut et confortauit. Quam delitiosa fame affligitur, qui caelestibus promptuarii dapibus satiatur, cui caelum fit cellarium, caelestis promus exhibet ministerium. Quam feliciter miser est qui, dum terrenis eget impendiis, angelicis fulcitur obsequiis, cui exenium diuinitus mittitur, angelitus ministratur.

2. Petrus Cellensis on the Book of Ruth

VIDITQVE MVLIEREM IACENTEM AD PEDES SVOS ET AIT ILLI: QVAE ES? Iam iacet ad pedes quae paulo ante calcabat pedes. Nota duo genera peccatorum, unum a Deo recedentem, alterum ad Deum redeuntem, id est ab irato ad placatum. Adae quia se abscondebat in paradiso conscientia peccati non ferente lumen uultus Dei, dicitur: “Adam, ubi es?” Ab ista uero non quaeritur, “ubi es,” sed QVAE ES. “Vbi es,” notat se abscondentem, et QVAE ES, notat iam accedentem et confitentem. Conscientia ergo si aliunde quaerat remedium excusationis de peccato quam ab illo qui sine peccato est, non tam de priore quam de secundo errore arguitur et condemnatur. Et hoc notatur, cum ad Adam non dicitur, “quis es,” sed: “ubi es.” Quasi diceretur: Scio quia extra te factus peccasti, sed iam saltem non fugiendo et latitando redime lapsum, sed redeundo, et ubi sis pensando. Isti autem non dicitur, “ubi es,” quia iam ad pedes est, sed dicitur QVAE ES, quia adhuc in nocte est et non cognoscitur uultus eius in area nec in plateis. Nondum enim habet uirum suum, nondum habet paenitentiae fructum.

3. Vincent of Beauvais: Goths, and Vandals, and Huns

Sic et Gothi primo Scanciam Scythie insulam incoluerunt. Cuius possessione non contenti cum rege suo Berith inde exierunt ac uicinas insulas terrasque peragrantes ceteras gentes preliis lacescebant et sibi terrore sui nominis subigebant. Porro tempore imperatoris Decii transitu Danubio cum Guina rege suo grauiter incubabant romano imperio. Qui a Decio impetiti bello exercitu romano prostrato ipsum Decium perimerunt cum filio Decio. Hac felicitate elati sepe postea in congressu romanis ducibus superiores effecti toti orbi romano erant terrori. Wandali quoque de Scithia oriundi a Gothis uicti alienas terras inuadere ceperunt, qui suas retinere non potuerunt. Denique tempore Valentis imperatoris Huni, qui et ipsi ferociter debachabantur in Scithia, nacti oportunitatem ex intestina Gothorum similitate fines illorum ex improviso inuaserunt eosque bello uictos aut sibi subiugarunt aut captiuitate cruciarunt aut patria expulerunt. Ita Gothi, qui multas gentes seruicio suo subdiderant, Hunorum dominio subditi sunt; et nimis eorum potentiam adauerunt, dum omnes qui Gothis seruiebant per Gothos Hunorum principatui paruerunt.

4. Commission from Archbishop Henry Chichele to hear and determine the matrimonial suit of John Aleyn against Isabella Brame: January 1416.

Henricus dilectis in Christo filiis magistris Henrico Ware officiali, Johanni Estcourt examinatori generali, Johanni Honyngham et Thome Stevyns advocatis curie nostre Cantuarie salutem gratiam et benediccionem. Querelam dilecti in Christo filii Johannis Aleyn de Chedyngton' Lincoln' diocesis nostre Cant' provincie gravem recepimus continentem quod licet idem Johannes Aleyn cum quadam Isabella Brame filia Roberti Brame de Chedyngton predicta nostre eciam Cantuariensis provincie subdita et subjecta matrimonium per verba legitime de presenti contraxisset (prout ut asserit contraxit), ipsa tamen Isabella perverso consilio ducta idem matrimonium solemnizare facere atque consummari sepius et legitime requisita recusavit et recusat in omnibus minus juste in anime sue grave periculum ac dicti querelantis prejudicium non modicum et gravamen. Nos igitur de vestris fidelitate et circumspeccionis industria plurimum confidentes, ad audiendum, cognoscendum et procedendum in dicte querele negocio ipsumque negocium cum suis emergentibus, incidentibus, dependentibus, et connexis quibuscumque discuciendum et fine debito terminandum, vobis conjunctim et divisim tenore presencium committimus vices nostras cum cujuslibet cohercionis canonice potestate.